



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.  
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm  
Crvcifixvm**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae, 1648**

60. Iubetur memor esse Passionis Dominicæ statim à suspecto Baptismi  
Sacramento.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

X.

## AMATOR CRVCIFIXI

*iubetur memor esse Passionis Dominica statim à suscepto Baptismi Sacramento.*

60.

*Vestis candida vocēs  
baptizatorum.*

**B**APTIZATI induuntur veste candida; secundum antiquissimam in Ecclesia consuetudinem; cuius meminit S. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. de Baptismo, S. Ambrosius lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 7. S. Augustinus sermone 157 de tempore, qui est primus in Octava Paschatis, siue Dominica in Albis. Vestis autem candida renatorum per Baptismum significat, I. candorem; introductum in animam per aquam sacramentalem abluentem ab omni peccatorum labe. II. Mysterium Resurrectionis gloriosæ, in qua indumendo nitoris Angelici vestientur Beati. *Data sunt illis singula stola alba,* inquit S. Ioannes Apocalypsis vi. III. Secundum Rhabanum, interioris & exterioris hominis castitatem, innocentiam, & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas studiosè seruare debet sanctitatis Sacramento dealbatus, iuxta illud. *Omni tempore vestimenta tua sint candida, Ecclesix;*

QVO

QVONIAM autem hæc omnia fiunt *Fimbriae*  
 VI virtuteque CRVCIS, SANGVINIS, ac *purpureae*.  
 PASSIONIS CHRISTI, mos viget ali-  
 cubi, b. vt alba vestis linea baptizato-  
 rum in summitate assutam habeat fim-  
 briam rubram, aut filum purpureum,  
 quo repræsentetur Domini Passio, &  
 signatè sanguis ille purpureus, per  
 quem Baptismi Sacramentum vitam  
 confert, & puritatem, dealbatione factâ  
 in sanguine Agni immaculati. Monen-  
 tur igitur baptizati eo signo, si animi  
 candorem, innocentiam, castitatem-  
 que internam & externam custodire  
 velint, vt Passionis CHRISTI iugiter  
 sint memores: & sciant non nisi gratia  
 CRUCIFIXI Domini à se peccati fœdi-  
 tatem ablâtam, & super niuem per San-  
 guinem AGNI se dealbatos esse.

a. *Guilielmus Durand. in Rationali Offi-  
 cior. diuinor. lib. 6. cap. 81. b. In pro-  
 uincia Narbonensi alba vestis linea in  
 summitate cum filo rubro supersuitur:  
 hac autem rubra fimbria Christi Passio-  
 nem per quam Baptismi Sacramentum  
 impletur, designat. Ita ille. Legendus Io-  
 sephus Vicecomes in Observationibus Ec-  
 clesiasticis lib. 5. cap. 51. de ritibus Ba-  
 ptismi.*